Princeton University Library
32101 065317602

Zu

der öffentlichen Prüfung

aller Klassen

des Königlichen Gymnasiums zu Ratibor

den 20. und 21. März

und dem Redeactus

den 23. März

laden ergebenst ein

Direktor und Lehrerkollegium.

2

Inhalt:

1. Ueber die Charaktere des Theophrast. Zweite Abtheilung. Vom Konrektor Pinzger.
2. Schulnachrichten. Vom Direktor Hänisch.

Ratibor, 1839.

Gedruckt in der F. M. Langerschen Buchdruckerei.

RECAP
2786
-84
pt 2

(RECAP)
2786
.84



Digitized by Google

Quaestionum Theophrastearum specimen alterum.

Diu et multum ambigere constat viros doctos, num Theophrasti aureolus liber, qui ΧΑΡΑΚΤΗΡΩΝ nomine inscribitur, ab ipso antiquo philosopho profectus sit. Quicunque enim ad nostram usque memoriam sive ediderunt χαρακτῆρας sive de his agere instituerunt, aut de libri, qualem nos habemus, germana forma et conditione suspiciones protulerunt gravissimas, aut eo usque severitatis abierunt in abjudicando, ut vel ipsum Theophrasti nomen detractum libello vellent*) eumque seriore demum tempore e docti alicujus viri officina prodiisse censerent. Offendisse nimirum apertum est plerosque illos praecisam in describendis morum notationibus brevitatem, succinctum ac parum accuratum definitionum genus, orationem denique minus artificiosam, admodum brevem adstrictamque et omni fere pigmentorum flore carentem. Et quidem negari non potest mirum esse in tanto scriptore philosopho, cujus eximium dicendi leporem ac singularem linguae suavitatem veteres scriptores satis luculenter testantur, praedicant, commendant, id genus dictionis, quod neque ad Platonis poeticam sermonis festivitatem et facundiam adsurgat neque cum sublimiori Aristotelis arte contendi queat. At vero etiamsi dederis, non absonum plane esse

*) Ita jamdudum existimasse deprehendimus praestantissimos superioris memoriae viros, Petrum Victorium (Variar. lection. lib. XVII. cap. 7.; lib. XVIII. cap. 14.; lib. XXXVII. cap. 5; Commentar. ad Aristot. rhetor. III. 16.) Antonium Muretum (Varr. lectt. plur. locis.) Henricum Stephanum (in edit. Aristotelis et Theophrasti scriptt. quorund. Parisiis 1557. 8. cf. Astii prolegomena pag. 4.) — Ceterorum placita, qui libellum Theophrasti in νοθείας suspicionum vocarunt, a me congesta reperies in prolusione schol. Gymn. nostri a. cIↃIↃCCCXXXIII.

Digitized by Google

hoc qualecunque judicium neque destitutum aliqua veri specie, tamen verissimum est, quod Auctor rhetoricorum ad Herennium scribit*): „Notatio est, cum „alicujus natura certis describitur signis, quae sicuti notae quaedam „naturae sunt attributa.“ quo loco scilicet praeter definitionem et ipsum illud concisum dicendi genus haud dubie videtur designare auctor, quod ex sua quidem sententia idoneum sit et quasi familiare his morum descriptionibus.

His potissimum opinionibus, ne dicam opinionum commentis, innixi superiorum aetatum critici religioni haud sibi duxerunt maculam praeclaro libello inurere, qua etiam post egregias Isaaci Casauboni curas, nemo inventus est, qui plane purgaverit eum atque ita pertractaverit, ut de vero ejus auctore et germana forma quidquam ab omni parte certi et explorati constaret. Etenim qui post Casaubonum characteras ediderunt, Schneiderus praesertim, Astius alii, tantum abest, ut rem ad liquidum perduxerint, ut majores contra easque molestiores dubitationum nebulas excitarint. Schneiderus scilicet, qui binas notationum editiones, antequam plenam operum Theophrasti collectionem adornaret, annis clɔlɔccic. et clɔlɔccc. in lucem prodire jussit, spreta codicum auctoritate in novum plane ordinem digessit singula libri capita, quod quum fieri non possit, quin legentibus molestum sit, jure reprobaverunt qui post eum operam navaverunt libello. Verum ne iniquius, quam par est, de clarissimorum horum virorum studiis Theophrasteis pronuntiasse videar, eorum admonitos velim lectores, quae de Schneidero Astius,**) de Astio censores publici in diariis quibusdam litterariis judicarunt.

Quae quum ita sint, etiammunc late patet, immo aucta est disceptandi materies, neque jam abs re erit primis tanquam lineis designare eas quaestiones, ad quas singulas pertractandas futurum Theophrasti editorem se dare oporteat.

---

*) Libro quarto, cap. 50. — Ob argumenti similitudinem juvat apponere verba Senecae Epistol. XCV. § 66: „Ait utilem futuram esse descriptionem cujusque virtutis. Hanc Posidonius aetiologiam vocat, quidam χαρακτηρισμὸν appellant, signa cujusque virtutis et vitii ac notas reddentem, quibus inter se similia discriminentur. Haec res eandem vim habet, quam praecipere. Nam qui praecipit, dicit: illa facies, si voles temperans esse; qui describit, ait: temperans est, qui facit illa, qui illis abstinet. Quaeris quid intersit? Alter praecepta virtutis dat, alter exemplar. Descriptiones has et, ut publicanorum utar verbo, εἰκονισμούς, ex usu esse confiteor.“

**) Vid. Prolegom. pag. 42 et 43.

Digitized by Google

I. Necessarium prae ceteris videtur esse, si quis tuta hoc in negotio velit procedere via, ut dicatur de auctoritate codicum eorumque familiis. Tantopere enim discrepant inter se libri scripti, ut sint diversissimi ac frustra sane elaboraret, qui antequam singulos eos caute excussisset et circumspecte in examen vocavisset, de prima libelli eademque genuina forma judicare vellet. Deinde hanc quidem primariam vel propterea oportet esse disceptationis partem, quod post repertum a Wurmio codicem Monacensem opinio a Thierschio parum caute prolata „nunc demum ex illo codice protractam esse veram characterum recensionem" late disseminata est et virorum quorumdam nacta approbationem.

II. Cum hac quaestione arctissime cohaeret altera de singularum libri partium interpolatione. in qua investiganda primum statuendum erit de prooemio, quod Somtagius. *) aliique a Theophrasto abjudicarunt: tum de supplementis et additamentis codicis Palatini a plerisque pro spuriis habitis: postremo huc pertinet disceptatio de duobus characteribus ab Amadutio e codice Palatino erutis ac de tribus ultimis jam dudum editis.

III. His praemissis tertia quaestio de eo instituatur, liber num epitome sit an integras in se habeat partes, qua quidem de re prudenter et accurate non poterit judicari, nisi ante de doctrina morum, qualem Peripatetici tanquam suam sibi vindicant, praesertim ex Aristotelis scriptis repetenda subtiliter expositum fuerit; qua ratione certo libelli indoles et ingenium vere Theophrasteum optime apparebit.

Ex tanto igitur quaestionum numero unam dumtaxat hac proludendi data occasione tractare placuit, quae est de Codice Monacensi. ex quo scilicet characteras primum genuina forma edidisse sibi visus est Fridericus Thierschius **). Proemium autem, quale in hoc codice exhibetur, quum jam ante hos sex annos ***) a nobis tractatum sit, nunc ad quinque priora characterum capita cum vulgaribus comparanda transeamus, quae itidem Thierschius tota a Theophrasto profecta et plane integra esse existimavit.

---

*) In prooemium Characterum Theophrasti. Scripsit Carolus Gottlob Sonntag. Lipsiae 1787. 4. — Argumenta, quibus impugnarunt v. d. prooemii γνησιότητα maximam partem sunt historica et ad vitam scriptoris spectant. Quare fieri non poterit, quin hac parte Theophrasti vita ad temporis rationes exigatur.

**) Vide Acta Philologorum Monacensium, Volum. III. fasc. III. a. clolocccxxii.

***) Ueber die Charactere des Theophrast. Einladungsschrift zum Osterexamen des Gymn. zu Ratibor 1833, 4.

Digitized by Google

A. Caput primum, sicut in vulgaribus editionibus exhibetur.

Περὶ εἰρωνείας.

Ἡ μὲν οὖν εἰρωνεία δόξειεν ἂν εἶναι, ὡς τύπῳ λαβεῖν, προσποίησις ἐπὶ χεῖρον πράξεων καὶ λόγων· ὁ δὲ εἴρων τοιοῦτός τις, οἷος προσελθὼν τοῖς ἐχθροῖς ἐθέλειν λαλεῖν, οὐ μισεῖν· καὶ ἐπαινεῖν παρόντας, οἷς ἐπέθετο λάθρα· καὶ τούτοις συλλυπεῖσθαι ἡττωμένοις· καὶ συγγνώμην δὲ ἔχειν τοῖς κακῶς αὐτὸν λέγουσι. Καὶ ἐπὶ τοῖς καθ' ἑαυτοῦ λεγομένοις, καὶ πρὸς τοὺς ἀδικουμένους καὶ ἀγανακτοῦντας πρᾴως διαλέγεσθαι. Καὶ τοῖς ἐντυγχάνειν κατὰ σπουδὴν βουλομένοις προστάξαι ἐπανελθεῖν, καὶ προσποιήσασθαι ἄρτι παραγεγονέναι, καὶ ὀψὲ γενέσθαι, καὶ αὐτὸν μαλακισθῆναι. Καὶ μηδὲν, ὧν πράττει, ὁμολογῆσαι, ἀλλὰ φῆσαι βουλεύεσθαι. Καὶ πρὸς τοὺς δανειζομένους καὶ ἐρανίζοντας, ὡς οὐ πωλεῖ· καὶ μὴ πωλῶν φῆσαι πωλεῖν. Καὶ ἀκούσας τι, δόξαι μὴ προσποιεῖσθαι, καὶ ἰδὼν, μὴ ἑωρακέναι. Καὶ ὁμολογήσας, μὴ μεμνῆσθαι· καὶ τὰ μὲν σκέψασθαι φάσκειν, τὰ δὲ οὐκ εἰδέναι, τὰ δὲ θαυμάζειν, τὰ δὲ ἤδη ποτὲ καὶ αὐτὸς οὕτω διαλογίσασθαι. Καὶ τὸ ὅλον δεινὸς τῷ τοιούτῳ τρόπῳ τοῦ λόγου χρῆσθαι, „Οὐ πιστεύω, Οὐχ ὑπολαμβάνω, Ἐκπλήττομαι" καὶ λέγειν ἑαυτὸν ἕτερον γεγονέναι· „Καὶ μὴν οὐ ταῦτα πρὸς ἐμὲ διεξῇς, Παραδοξόν μοι τὸ πρᾶγμα, Ἄλλῳ τινὶ λέγε, Ὅπως δέ σοι ἀπιστήσω, ἢ ἐκείνου κατάγνω, ἀποροῦμαι." Ἀλλ' ὅρα, μὴ σὺ θᾶττον πιστεύῃς τοιαύτας φωνὰς καὶ πλοκὰς καὶ παλιλλογίας, οὐ χεῖρόν ἐστιν εὐρεῖν οὐδέν· τὰ δὲ τῶν ἠθῶν μὴ ἁπλᾶ, ἀλλ' ἐπίβουλα φυλάττεσθαι μᾶλλον δεῖ, ἢ τοὺς ἴχνις.

B. Idem caput ad verba codicis Monacensis.

Περὶ εἰρωνείας.

Ἡ μὲν οὖν εἰρωνεία, ὡς τύπῳ περιλαβεῖν, προσποίησίς ἐστιν ἐπὶ τὸ χεῖρον λόγων τι καὶ πράξεως. ὁ δὲ εἴρων τοιοῦτός τις, οἷος προσελθὼν τοῖς ἐχθροῖς ἐνδείκνυσθαι οὐ μισεῖν. καὶ ἐπαινεῖν ἀναφανδὸν οἷς ἐπέθετο λάθρα. καὶ συνάχθεσθαι πάσχουσι κακῶς ἢ ἡττημένοις καὶ συγγνώμης ἀξιοῦν τοὺς κακῶς αὐτὸν λέγοντας· καὶ πρᾴως διαλέγεσθαι ἀδικουμένοις· καὶ τοὺς ἐντυχεῖν βεβουλημένους κατασπουδὴν προστάξαι ἐπανελθεῖν· μηδ' ὁμολογεῖν εἰ πράττει, ἀλλὰ λέγειν ἔτι βουλεύεσθαι· προσποιεῖσθαι δὲ ἄρτι ἢ ὀψὲ παραγενέσθαι· καὶ ἀκούοντα προσποιεῖσθαι μὴ ἀκούειν, μὴ μεμνῆσθαι, ἢ ἐπαγγέλλεσθαι σκέψασθαι. ἢ ἀγνοεῖν ἢ θαυμάζειν, ἢ μὴ ὁρᾶν ὑποκρίνεσθαι καὶ ὅσα πρέπει τῇ εἰρωνείᾳ λέγειν· οὐ πιστεύω. ἐξίσταμαι· εἰ τούτοις καταχρώμενος τοῖς τρόποις ἀποτρόπαιος ὑπὲρ τὰς ἴχνις. καὶ φυκτὰ τὰ τοιαῦτα ἤθη ὡς ἐπίβουλα.

Verum audiamus nunc ipsum Thierschium, qui de tanta codicis sui a vulgatis exemplaribus discrepantia ita sententiam suam prodit *): „Scilicet liber ille propter „argumenti amoenitatem et varietatem multos lectores et explicatores nactus est, „qui posteaquam priscá graecae dictionis indoles et castitas desierat, suo genio eum „accommodare et inani verborum et sententiarum copia involvere studuerunt. Si „verum est, quod referente Fischero in Praefatione ad Theophrastum dixit Conradus

*) Act. Monacens. l. l. pag. 386.

Digitized by Google

„Gesnerus, in Bibliothecis Italicis extare commentarios Maximi Planudae in „hunc libellum, equidem non dubitem pronunciare industriüm illum monachum „pro ingenio sui temporis non explicuisse solum, sed etiam circumscripsisse „Characteras Theophrasti et Planudae metaphrasin esse, qui hucusque Theophrasti „sermo habitus fuit.“ Diversis deinde locis addit, prolixam esse in vulgatis et inani verborum copia diffusam elocutionem ac longissime recedere ab attica dicendi sinceritate; jejuna pleraque; admistum hic illic merum verborum strepitum; simplices plerumque sententias multis et inutilibus verbis pessime involutas; niniam praeterea loquendi licentiam deprehendi, qua verba verbis cumulentur, qua etiam quae brevius dicta obscuriusve visa sint, ampliora et clariora reddantur; universam denique dictionem talem, ut e limine statim agnoscas recentiorem aliquem Graeculum, quales prisci Atticorum scriptores exegetas et metaphrastas multos nacti sint. — Codicem Monacensem contra orationc omnino concinna et attica elegantia etiam in minimis conspicuum; sententias in eo breves et apte sibi oppositas ac dilucide distinctas; nihil quod jejunum, quod superfluum dicere possis; eum denique orationis numerum, qui divini oris philosophum deceat.

Ita Thierschius. — At tute tibi nunc vide sis Theophrastum tuum, quem scilicet, ne molestum tibi sit arbitri partibus fungi, huc ipsum coram procedere jussi. Ecce, adest. — Hem? quid haeres? torvi oberrant oculi; corrugas frontem? At profecto, jam intelligo, quid causae sit: unum sanequam opinabaris in conspectum venire Theophrastum eumque simplicem ac constantem sibi; exspectabas scilicet priscum illum, quem a puero magni faciebas, suaviloquentem Stagiritae alumnum. — Neque secus, ita me Dî ament, nosmet ipsi: nam ne in mentem quidem venit, unquam alium alicunde suscitatum iri, qui alterius personam fraudulenter agere audeat. Verum jam diu casti illi mores, quibus prisca litterarum excelluerunt tempora, migrarunt et desierunt quippe quum ipsi homines nihil sinant esse diuturnum. Quanquam, quid loquor? Ad istam rationem nihil non esset vitiosum inter homines. Profecto. Sed ne diutius moremur, fac ad rem pergas, unde deflexisti. Itaque dum unum Theophrastum exspectas, nunc duo adsunt, alter ille, quem dudum cognovimus patrem esse χαρακτήρων, alter homo non rudis neque indoctus, sed parum verbosus et curta cum supellectile incedens, a patrono gravi et magniloquente introductus et non nulla comitantium turba stipatus. Sunt enim quidam adeo crassi, ut non distinguant vera a falsis, subditicia et spuria a germanis et geminis. — At hujus senis praeclarae morum imagines notissimae sunt et tam lepide scriptae, ut vix

Digitized by Google

quisquam erit, quin primas iis concedat. Legat mihi nunc ille, qui post demum accessit, libellum suum. Bene. Audio. Attamen epitomen esse uberioris, quem modo magna cum voluptate ex ore senis venustissimi audivimus, jam primo obtutu ac primis tantum periodis auditis manifesto licet perspicere. Nam vide, haud pauca a te omissa sunt, quae ille protulit, quaeque abesse non possunt nisi magno cum sententiarum et universae imaginis detrimento. Generatim deinde multa descripsisti neque adhibuisti summam illam ἀκριβείαν, qua alter ille excellit. Vide modo et iterum perlustra, quam copiose hac tabula velut depictus sit certis et idoneis coloribus ἴδιον. Tu autem, qui eandem tua tibi manu conformare imaginem voluisti, maximam quidem partem colorum genera imitatus es, aliquoties tamen ab iis recessisti sine justa, ut mihi videtur, causa; tum non majore jure omisisti nonnulla neque abhorres a mutandi quodam studio et voluntate, ut omnino negari non possit te voluisse epitomen adornare egregii illius libri. Patronus certe tuus plane contrariam sententiam obtinet, quam copiose supra peroravit. Nunc autem ille jam eo haud dubie adductus est, ut perspiciat, quam parum caute et circumspecte egerit et judicaverit. Atque tu ipse, cliens, quem ante erecto et fere elato videbamus accedere animo, nunc debilitatus et convictus conticescis. Figura autem tua et habitus totus, nisi egregie fallor, monachum prodere videntur, non callidum et vafrum, qui subdole subditicia pro veris vendat, honestum potius, qui in suum ipsius commodum transcripsit morum notationes Theophrasteas atque, ne plane ἀσύμβολος discederet, multa ex ingenio immutavit.

Sed quoniam molestum est in conquirendis singulis vocabulis multam operam collocare, jam indicem exhibemus scripturae diversitatis, apposito linearum, quibus verba in orationis contextu pagina praecedenti scripta sunt, numero.

Vulg.	Monac.
Ein. 1. δέξειεν ἂν εἶναι προσποίησις	1. προσποίησίς ἐστιν.
— ὡς τύπῳ λαβεῖν	— ὡς τύπῳ περιλαβεῖν.
— ἐπὶ χεῖρον	— ἐπὶ τὸ χεῖρον.
— πράξεων καὶ λόγων	— λόγων καὶ πράξεων.
2. ἰδίᾳ λαλεῖν, οὐ μισεῖν	2. ἐνδείκνυσθαι οὐ μισεῖν.
— ἐπαινεῖν παρόντας	— ἐπαινεῖν ἀπαφανδόν.
3. συλλυπεῖσθαι ἥττωμένοις	3. συνάχθεσθαι πάσχουσι κακῶς ἢ ἡττημένοις.
— συγγνώμην . . ἔχειν τοῖς κακῶς αὐτὸν λέγουσι	— συγγνώμης ἀξιοῦν τοὺς κακῶς αὐτὸν λέγοντας.

Digitized by Google

4. Καὶ ἐπὶ τοῖς καθ' ἑαυτοῦ λεγομένοις... πρᾴως διαλέγεσθαι	4. καὶ πρᾴως διαλέγεσθαι ἀδικούμενος.
5. Καὶ τοῖς ἐντυγχάνειν κατὰ σπουδὴν βουλομένοις	4. καὶ τοὺς ἐντυχεῖν βιβουλημένους κατασπουδήν.
6. Καὶ μηδὲν, ὧν πράττει, ὁμολογῆσαι	5. μηδ' ὁμολογεῖν εἰ πράττει.
— προσποιήσασθαι ἄρτι παραγεγονέναι καὶ ὀψὲ γενέσθαι	6. προσποιεῖσθαι δὲ ἄρτι ἢ ὀψὲ παραγενέσθαι.
7. φῆσαι βουλεύεσθαι	5. λέγειν ἔτι βουλεύεσθαι.
8. Καὶ ἀκούσας τι (δέξαι) μὴ προσποιεῖσθαι	6. καὶ ἀκούοντα προσποιεῖσθαι μὴ ἀκούειν.
9. καὶ τὰ μὲν σκέψασθαι (al. ἐσκέφθαι. Cas. σκέψεσθαι) φάσκειν, τὰ δὲ οὐκ εἰδέναι, τὰ δὲ θαυμάζειν	7. ἢ ἐπαγγέλλεσθαι σκέψασθαι ἢ ἀγνοεῖν ἢ θαυμάζειν.
11. Ἐκπλήττομαι	8. ἐξίσταμαι.
14. τὰ δὲ τῶν ἠθῶν μὴ ἁπλᾶ, ἀλλ' ἐπίβουλα φυλάττεσθαι μᾶλλον δεῖ, ἢ τοὺς ἴχνεσι	— οἱ τούτοις καταχρώμενοι τοῖς τρόποις ἀποτρόπαιοι ὑπὲρ τὰς ἴχνεις. καὶ φευκτὰ τὰ τοιαῦτα ἤθη ὡς ἐπίβουλα.

Jam prima linea immutavit Codex Monacensis ordinem verborum πρᾶξιν καὶ λόγου, quod etiamsi levioris est momenti, tamen non est mullius. Etenim eam habes cavillatoris descriptionem, qua prius agendi, deinde loquendi vitiosa consuetudo certis quibusdam notis appareat. Etiam ubi inverso ordine reperiuntur haec verba, tamen sibi constat quem modo significavi usus, veluti cap. VIII. XIII. XIV., nam ibi vitium minus agendo quam loquendo cernitur. Verba autem ipsa plane Aristoteleam consuetudinem redolent. Vide praeter alia Ethic. Nicom. II. 7. 11. περὶ λόγων καὶ πράξιων κοινωνίαν. ibid. IV. 7. 1. ἐν λόγοις καὶ πράξεσι. — Deinde quod habet Monacensis ὡς τύπῳ περιλαβεῖν pro simplici ὡς τ. λαβεῖν, ex aliis locis et nostri opusculi et Aristoteleis ductum memoriae inhaerat librarii. Itaque vel hac re manifestum est, epitomatorem eo consilio scripsisse, ut, ubi sine sententiae detrimento fieri posset, recederet a vulgatis. Sunt autem alia sexcenta de genere hoc, ut ex sequentibus apparebit. Confer exempli gratia haecce: ἐπαινεῖν παρόντας a scriptore codicis Monacensis mutatum in ἐπαινεῖν ἀναφανδόν. — συλλυπεῖσθαι. Mon. συνάχθεσθαι. — συγγνώμην ἔχειν Mon. συγγνώμης ἀξιοῦν. — φῆσαι. Mon. λέγειν. — φάσκειν. Mon. ἐπαγγέλλεσθαι. —

Digitized by Google

οὐκ εἰδέναι. Mon. ἀγνοεῖν. — ἐκπλήττεμαι. Mon. ἐξίσταμαι *). — μᾶλλον ἢ τοὺς ἔχεις. Mon. ὑπὲρ τὰς ἔχεις **) — His e mera mutandi libidine profectis differentiis adnumerare nullus dubito illud ἐπὶ τὸ χεῖρον, quod apposito articulo legitur in Cod. Mon. pro vulgari ἐπὶ χεῖρον, exiguo tantum cum sententiae, ut mihi quidem videtur, discrimine. — Deinde quod ad breviorem formulam (ἡ εἰρωνεία προσποίησίς ἐστιν κτλ.) attinet, quam usurpavit epitomator, eandem subesse existimo mutationis causam atque in iis, quae modo recensui. Alia scilicet uti maluit loquendi ratione, quam quae obtinuit in vulgatis. Vulgatam autem formulam (δόξειεν ἂν εἶναι) neutiquam esse ex inanis verbositatis studio natam jam documento esse potest frequens ejus in Aristotelicis libris usus ***): nihil enim in simili causa ibi frequentius. Et recte quidem. Nam qui cum asseveratione loquuntur, dicunt: ironia est cum factorum tum dictorum in deterius fictio; qui modeste contra denotant vitium, bene ita efferunt definitionem: ironia esse videtur sive videri possit; qua ratione, si quid video, probe significabant scriptores ethici, horum characterum definitiones aliquo sive obscuritatis sive negligentiae incommodo non laborare non posse. Etenim singulorum vitiorum et perversitatum, omnino morum, plurimae atque adeo innumerae in vitae usu sunt varietates, quae, quo magis aliae aliis sunt implicitae et contiguae, eo difficilius sunt et peculiaribus nominibus distinguendae et definitionum comprehendendae angustiis ****). Eo pertinent, quae morum scriptor statim ab initio libelli sui de magna hac vitae morumque diversitate pronuntiat: „Saepe equidem jam ante, quum hac de re attentius cogitare coepissem, miratus sum, sed nec mirari fortasse desinam, quid causae sit, cur, quum Graecia omnis eidem coelo subjecta sit; quum etiam Graeci omnes eodem modo instituantur; non omnes tamen iisdem moribus

---

*) Vid. Suidas s. v. ἐξιστάμενος ἀντὶ τοῦ παραχωρῶν ... τάττεται δὲ καὶ ἐπὶ τοῦ ἐκπληττόμενος et deinde ἐξίστησιν, ἐκπλήττει. οὔτε δέος ἐξίστησιν αὐτοὺς οὔτε δαπάναι οὔτε πόνος.

**) Observa etiam generis differentiam: nam in minimis quoque suam sibi quaesivit viam Mon. a vulgari recedens. Ceterum apud Atticos scriptores masc. genere ὁ ὄφις, apud Oppianum demum ἡ ὄφις invenitur, vid. Passovium in lexico s. v.

***) Solet Theophrastus suas descriptiones cum excusatione quadam proferre, ne quis hic exquisitas requirat definitiones. Casaubonus commentario ad cap. 1. p. 15. extr.

****) Vide Zellium comm. I. sub fin.

Digitized by Google

utamur" etc. *); in quibus Thierschius recentiorem aliquem Graeculum in concinna oratione dilatanda et augenda nunquam sibi satisfacientem agnoscit, nos autem praeclarum Attici sermonis modestiam et Theophrasto usitatam urbanitatem cum voluptate admiramur, quippe qui consulto et prudens adumbrare magis et tantum informare voluit definitiones, quam accurate et ad severas regulas exprimere.

Verbis autem, quae jam subsequuntur, — οἷος προσελθὼν τοῖς ἐχθροῖς ἐθέλειν λαλεῖν, οὐ μισεῖν, primam scriptor addit vitiosae istius simulationis et dissimulationis (εἰρωνείας) notam. Id genus hominum enim, quum obvium est inimicis, sponte eos adit, blande alloquitur, se non amplius odisse dicit **). Porro falsus ille cavillator in os laudat, quos reprehendit et obtrectat absentes; his, si ceciderint causa, in aegritudinis societatem venit; vultu comi et aequo loquitur de maledictis in se jactatis, ut non appareat ipsum iis commoveri; vult enim homo fraudulentus palam is videri, qui neminem laedat, qui omnibus concedat, qui non irascatur, qui injurias ferat aequo animo neque iis commoveatur, qui moneat alios, ut et ipsi aeque ferant injurias. Ita simulatae quandam sanctitatis venditationem et ostentationem prae se fert et in humanitatis, quam sibi arrogat, existimationem falso inducit cives; at vero, qui volunt ipsum convenire confestim, eos non admittit, verum jubet redire. Nihil eorum, quae agit, prodit et confitetur; ait se velle videre, an fieri possint et debeant, et hac ac simili ratione multa fingit et simulat, quae praetexat, e. gr. se modo domum revenisse aut sub vesperam aut admodum languere e via. Indigentibus amicis, qui honesta conditione mutuum rogant et ad sublevandam inopiam stipem sibi petunt hac quidem lege, ut eam reddant, modo sibi non esse respondet, quod vendere possit, unde pecuniam faciat, modo se velle vendere, quum tamen non habeat quod vendat, ut nesciant accepturine sint ab eo quidquam nec ne et incerti discedant. Quum quid audiverit, videri volet animum non advertisse, quum quid viderit, negabit vidisse, et quae sunt reliqua dissimulationis integumenta, nam homo est quavis vitae parte, sive agendi rationem spectas sive sermones, dubius incertus, ambiguus. — Sed redeam eo, unde deflexi. Illa igitur verba, sicut reperiuntur in vulgatis, ad aptam oppositionem nihil facere recte viderunt interpretes et varias propterea emendandi rationes inierunt. Eleganter quidem ea vertit

*) Cf. prooemii init. ex interpr. Casaub.

**) In hunc fere sensum explicanda, quae in vulgatis leguntur. ceterum v. Fisch. ad h. l.

Digitized by Google

Casaubonus: quasi alloqui eos velit, non amplius odisse; sed verba quasi et amplius ex ingenio addita sunt, neque prorsus is est cavillator (εἴρων), qui odium deponere se velle aperte dicat, sed qui dissimulet et occultet. Eandem ob causam non placet Klotzii *) interpretatio: qui ad inimicos suos adeat, seque cum iis loqui velle, non odisse eos dicat, scilicet ut post ἐχθροῖς subintelligatur φάσκων sive λέγων e frequenti apud Graecos scriptores ellipsi **). Varie praeterea mutaverunt vulgatam scripturam alii, in quibus Cornelius de Pauw, qui deleto οὐ correxit μισῶν. Schneiderus libri Florentini lectionem φιλῶν, quam habet pro λαλῶν ***), glossam posse videri verbo ἰθέλων appositam putat, nihilo minus tamen concedit non immerito quibusdam ob oppositum μισῶν commendari; ipsi autem omnium maxime placet φιλῶν οὐκ μισῶ. — Vulgarem librorum scripturam defendere studuit Hottingerus ****), qui μισῶν non odium, sed ea quibus odium se proderet, significare censuit, qua ratione tamen neque incommoda illa oppositio λαλῶν — οὐ μισῶν tollitur, neque etiam perspicitur, cur ἰθέλων apposuerit scriptor tum plane otiosum. — Astius in eodem verbo ἰθέλων offendit, „nam, addit animadvers. ad h. l. pag. 46, sive pro solere accipis, ut vulgo explicantur ejusmodi loci, Xenoph.

*) Vid. variet. lectionis ad h. l. in editione Fischeri.

**) Conf. Dorvillium ad Chariton. p. 174. et Valckenarium ad Euripidis Phoeniss. v. 1440 et 1469.

***) Receperunt φιλῶν Goezius et Ad. Coraes; in codice autem praeter Florentinum (sive, ad Schneideri verba Florentinos) nullo apparet, siquidem accurate scripturae diversitatem enotarunt editores. Id ipsum φιλῶν Reiskius conjectura invenit, sed ita, ut reponendum censeret ἰθέλων φιλῶν δοκῶν.

****) In Wielandi Museo Attico Vol. 1. fasc. 3. p. 119. Ibi in adnotatt. philol. et crit. haec scribit: Die Schiefheit dieses Gegensatzes haben die meisten Ausleger gefühlt, und daher mancherlei Verbesserungen vorgeschlagen. Allein die Stelle bedarf keiner Verbesserung, indem durch eine ziemlich bekannte grammatische Bemerkung jene Schwierigkeit leicht gehoben wird. Mehrere Zeitwörter nämlich, welche nach ihrer ersten Bestimmung eine leidenschaftliche Empfindung oder Gemüthsbewegung bezeichnen sollen, werden oft gebraucht, um die Handlung anzuzeigen, wodurch sich die Leidenschaft äussert. So heisst in eben diesem Karakter ἀγανακτεῖν nicht bloss ungehalten seyn, sondern sich in harten Ausdrücken beschweren; und im fünften Karakter θαυμάσαι nicht bloss bewundern, sondern seine Hochachtung bezeugen. So gar μισεῖν λόγῳ kommt beim Sofokles in der Elektra v. 359 vor. Aehnliche Beispiele finden sich auch bei den Römischen Schriftstellern. Ennius sagt beim Cicero de divin. 1. 48. Populus ore timebat; und Virgil Aen. V. 505. Intremuit malus, timuitque exterrita pennis ales.

Digitized by Google

Oeconomic. IV. 13. Hier. 1. 30. alii, sive redundare fere statuis, ut apud Platon. Parm. 146 D. 149 A. Sophist. 253 E. 261 D., ab hujus libelli sermone nescio quomodo mihi videtur abhorrere. Accedit, quod propter similem verbi sequentis φιλεῖν vel καλεῖν terminationem suspectum haberi possit. Quid si legamus ἰθέλων? Ἐθέλων ultro, sua sponte (vid. Dorvill. ad Charit. p. 541. Zeun. ad Xenoph. Oecon. V. 12. et Heindorf. ad Theaet. p. 287.) h. l. esset ab altero non provocatus vel prior appellatus. Sensus hujus loci tunc optime haberet: homo falsus vero talis (videtur esse), qui ad inimicos suos accedens, ultro eos amice, non inimice, accipit. φιλεῖν est enim amice accipere, ut salutare al., idcirco ejus contrarium μισεῖν inimice accipere, ita ut odium prodas. Ceterum Politianus legisse videtur ἢ μισεῖν; vertit enim: qui ubi inimicos adierit, appellare quam odisse malit." — Qui nuper hunc locum explicare studuit M. H. E. Meierus *), v. clariss., lectionem φιλεῖν velut temerariam plane rejecit, vulgatam ita defendens, ut καλεῖν non esse oppositum statueret verbis subsequentibus οὐ μισεῖν, sed inde pendere. „Nota quidem, inquit, est ea pleonasmi species, quae in negando opposito versatur, neque sine vi aliqua adhibetur **). At nonne haec scriptura sensum exhibet plane perversum? quasi falsi esset, inimicos amare suos neque odisse. Nimirum interpretes cum οὐ μισεῖν ad unum omnes oppositum arbitrarentur καλεῖν vocabulo, non poterant non offendi incommoda oppositione, qua ex difficultate ut se expedirent, varia commenti sunt, quae satius est premere. Mirum vero, neminem vidisse, si modo οὐ μισεῖν non oppositum arbitrere καλεῖν verbo, sed ex hoc pendere statuas, ἰθέλειν autem solendi significatu accipias, e librorum scriptura sensum unum verissimum effici: „falsus vero is est, qui inimicos adeat, dicatque se eos non odisse;" οὐ μισεῖν neque μὴ μισεῖν dixit, quamquam et hoc dicere poterat, quod ea verba in unam quasi notionem coaluerunt; est vero nota litotes οὐ μισεῖν pro φιλεῖν, quo ex genere sunt οὐχ ἥκιστα pro μάλιστα, οὐ χεῖρον pro κρείττονος, inutilis pro pernicioso al. hinc intelligitur φιλεῖν illud Florentini libri merum esse interpretamentum." ***) — Codex

*) Praefat. ad indicem lectionum in academia Halensi per aestatem clɔlɔccccxxx habend. p. 6.

**) Hujus pleonasmi nubem exhibuit exemplorum, veluti Aristoph. Av. 377. ἐχθρῶν καὶ φίλων. Eurip. Troad. 1164. λυπρὸν θέαμα καὶ φίλον. Aristoph. Av. 1649. πόθους καὶ γνησίους. alia.

***) Denique qui novissimis temporibus de Theophrasti notationibus morum scripsit Henricus Eduardus Fossius, vir eximiae eruditionis, ejus commentationum partes alteram et tertiam tantummodo contigit inspicere. Frustra primam diu desideravi. In illis autem ad nostrum locum nihil.

Digitized by Google

Monacensis contra exhibet ἐνδείκνυσθαι οὐ μισεῖν, quod cum natura et agendi loquendique consuetudine cavillatoris bene congruit. Videtur itaque epitomator librum secutus esse, qui diversam ab ea, quae est in vulgatis, exhibuerit scripturam. Vulgatam autem levi medicina sanare non poteris, nam sive opposita sibi esse arbitraris οὐ μισεῖν et φιλεῖν (vel ἐθέλειν λαλ...) sive pendere οὐ μισεῖν ex praecedenti ἐθέλειν λαλεῖν statuis, semper aliquid erit, in quo haereas et offendas. Fuit itaque, quo ad hunc locum pertinere suspicarer fragmentum Theophrasti, quod Plutarchus in vita Catonis minoris *) nobis servavit: κινδυνεύει τὸ λίαν φιλεῖν, ὥς φησι Θεόφραστος, αἴτιον τοῦ μισεῖν γίνεσθαι πολλάκις. His leviter immutatis et διεξελθεῖν in locum otiosi illius ἐθέλειν suffecto, ordo verborum erit hic: οἷος προσελθὼν τοῖς ἐχθροῖς διεξελθεῖν τὸ λίαν φιλεῖν τοῦ μισεῖν αἴτιον εἶναι. Λίαν enim facile poterat depravari in λαλεῖν et αἴτιον εἶναι oblitterari ob similitudinem subsequentium καὶ ἐπαινεῖν, ut sexcenties factum est. Quibus autem omissis ex articulo τοῦ natum est particula οὐ. Si sententiam loci spectamus, ad rem aptissima est, nam optime his verbis cognoscere licet summum simulandi et dissimulandi studium: homo falsus est talis, qui ad inimicos accedens multis demonstret, causam odii (nam si de inimicis sermo est, odium non potest offendere) fuisse vel ipsum nimium amorem.

*) Vide cap. XXXVII. pag. 200 edit. Schaeferi. Lips. 1827.

Digitized by Google

Schulnachrichten.

I. Lehrplan.

1. **Prima** (Ordinar. Pror. Dr. Müller). Lateinisch 8 St. Horat. Od. III. IV, ausgew. Epoden, carm. saec. 2 St. Pinzger. Cic. de offic. I und Sallust. bell. Catil., freie Arbeiten, Exercitien nach Weber, Extempor., Sprechübungen. 6 St. Hänisch.. — Griechisch 6 St. Hom. Il. IV, V. Plat. Laches und Crito und Sophocl. Trach; Exercitien nach Blume, Extempor., Syntax vom Nomen und Pronomen nach Buttmann. Müller. — Hebräisch. 2 St. Uebungen im Uebersetzen nach Gesenius und Schröder; Gramm. nach Gesenius, die unreg. Verba. Poppe, seit Michael Strauß. — Französisch 2 St. Menzel's Handbuch (Ancillon, Staël-Holstein, Chateaubriand); Gramm. und Styl nach Hirzel. Petzold, seit Michael Hänisch. — Deutsch 2 St. Schriftliche Ausarbeitungen, worunter auch poetische Versuche, mündliche Vorträge und Erklärung mehrerer Gedichte von Herder, Schiller u. a. Müller. — Deutsche Literaturgeschichte 2 St. nach Koberstein's Leitfaden bis auf Lessing; deutsche Prosodie, die Lehre vom Reim- und den Versmaaßen. Müller. — Geschichte und Geographie 3 St. Von den Kreuzzügen bis zum dreißigjährig. Kriege; Geschichte des preuß. Staats und Geographie von Asien und Europa nach Kohlrausch's Tabellen und Selten's Lehrbuche. Hänisch. — Mathematik 4 St. Die Lehre von der Kugel und der Ausmessung derselben, nach Kries, dann die mathem. Geographie mit Benutzung des Telluriums nach Brettners Leitfaden; zuletzt Wiederholung aus allen Theilen der Geometrie. Peschke. — Physik 2 St. Brettners Leitfaden, 6. 8. 9. 10. 11. Abschn. Peschke.

2. **Secunda.** (Ordin. Konrektor Pinzger.) Lateinisch 10 St. Aus Lindemann's sel. carm. e poetis lat. Abschn. von Lucret., Ovid., Stat., Horat.; Virgil. Aen. II, 1 — 400. Zugleich Prosodie und Metrik nach Zumpt und leichtere Uebung. im Componiren lat. Verse. 3 St. Müller. Cic. or. pro Archia poeta, in Catil. III. IV. und Anfang von Liv. XXI. Syntax nach Billroth, Exercit. u. Extemp., mündl. Uebersetzungsüb. nach Grotefend's Mater. II. 1. 7. St. Pinzger. — Griechisch 6 St. Hom. Il. VIII. und XXII. 2 St. Petzold, seit Mich. Ogienski; Abschnitte

Digitized by Google

aus Lucian und Plutarch nach Passow's Eklogen, Gramm. nach Buttmann und Exercit. nach Mehlhorn. 4 St. Pinzger. — Hebräisch 2 St. Die Anfangsgründe bis zu den unregelm. Verben nach Gesenius; einige Abschnitte in Gesenius Lesebuche gelesen und erklärt. Poppe seit Michaelis Strauß. — Französisch 2 St. Gedike's Chrestomathie, Abschn. 18 und 21 — 26, Stylüb. und Gramm. nach Hirzel bis zum Pron. demonstr. Schnalke. — Deutsch 2 St. Poetik, Rhetorik 1tr Thl. nach Fülleborn, Deklamation und Uebungen in freien Vorträgen, Lesung von Abschnitten aus deutschen Klassikern. Pinzger. — Geschichte und Geogr. 3 St. Combinirt mit Prima. — Mathematik 4 St. Die Lehre vom Kreise und die ebene Trigonometrie; Wiederholung der Buchstabenrechnung mit polynomischen Größen, die Lehre von den Wurzeln und Potenzen und die Rechnungen mit denselben, die Logarithmen. Nach Kries. Peschke. — Naturbeschreibung 1 St. Mollusken, Insekten ausführl., von dem übr. Thierreiche kurz. König.

